



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Quomodo Constantinus Heliopoli, statua Veneris solo aequata, primus  
omnium ecclesiam construxerit. Cap. LVI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

*Quomodo Constantinus Heliopoli, statua Veneris solo æquata, pri-  
mus omnium ecclesiam construxerit.*

## CAP. LVI.

**A**Tque ut ista imperatoris præclare recteque factis ac-  
cepta referri debent, sic ea quoque, quæ particula-  
tim apud singulas gentes ab ipso erant administra-  
ta: ut illud, quod Heliopoli Phœniciaë factum est. In qua  
vrbe nonnulli obscenam & libidinosam voluptatem  
pro dea venerantes, simulatione religionis, vxoribus &  
filiabus stupri admittendi facultatem, nulla habita pudo-  
ris ratione concesserunt. Cæterum iam lex noua, ple-  
na modestiæ & castimonix ab imperatore promulgata  
est, quæ iubet, ne quis eorum, vllum flagitium ibi more  
positum vsurpatumque deinceps audeat committere.  
His rursus documenta scriptis mandata, proposuit, qua-  
si fuisset ob hanc causam potissimum à Deo missus, ut  
omnes homines temperantiæ legibus institueret. Quam-  
obrem non est dedignatus cum his per literas suas fami-  
liariter colloqui, eosque cohortari, ut se ad Dei opti-  
max, cognitionem maturè transferrent. Atque in eo lo-  
co etiam eius dictis facta verè & appositè responderunt:  
quippe apud istos etiam templi amplissimi fundamenta  
iecit, ita ut quod ab omni seculorum memoria non sit  
auditione acceptum, hoc iam ipsa re perfectum esset: ni-  
mirum ut ciuitas eorum, qui superstitione fuissent occæ-  
cati, dei efficeretur ecclesia, præbyteris, diaconisque  
compleretur, & episcopus deo omnium rectori conse-  
cratus, illis præsideret. Præterea imperator animo sedu-  
lo prospiciens, uti quàm plurimi ad Dei verbum se con-  
ferrent, ea, quæ ad subleuandos pauperes pertinebant,  
copiose suppeditauit. Atque hac ratione ad salutarem  
Christi disciplinam eos se properè recipere impulit,  
verbis ferè cum Paulo dicente consentiens: siue  
per occasionem, siue per veritatem Christus annun-  
tiatur.

Philip. i.